



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Petri Ioannis Perpiniani Valentini, Societatis Iesv
Presbyteri. Orationes Dvodeviginti**

Perpiña, Pedro Juan

Lvgdvni, 1622

Vndeclima, ad Romanam iuuentutem de auita dicendi laude recuperanda,
quam habuit Romae in gymnasio Societatis Iesv: cùm Aristotelis artem
Rheticam interpretandam suscepisset, VIII. Idus Nouembr. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13368

392 De auita dicendi laude recip.

dis Apostolicæ maiestati, & Ecclesiæ vni-
uersæ tum saluti tum dignitati seruiemus.
Tu, P.B. perge nostræ Societatis vel potius
tuæ, operam, ita vt facis, cùm in aliis rebus
omnibus, tum in bene instituenda iuuentu-
tute verbis, auctoritate, re iuuare, quo ma-
iores tibi fractus ferre possit, & illud statue,
quod certè existimare debes, hos tam ala-
erestuæ potestatis administratos in tuis ma-
ximis occupationibus, tantisque de om-
nium gentium salute curis, tamen aliquâ
tuæ prouidentiæ parte contineri.

PETRI IOANNIS
PERPINIANI,

*Ad Romanam iuuentutem, de auita dicendis
laude recuperanda.*

O R A T I O V I .



A V D E O , patres religiosissimi,
gaudeo , vehementerque lætor,
intermissum anno superiore
Rheticæ docēdæ munus , mi-
hi rursus hoc tempore fuisse mandatum, &
vt quid sentio loquar; diuino consilio factū
esse arbitror, vt apud sapientissimos, æquis-
simosque viros plus ad hanc prouinciam ex-
perto

perto deferendam communis multorū vtilitas, quā ad laborē tantū fesso minuendum, priuata vnius requies valeret, primū enim, offertur mihi occasiō bene merendi: quod multò esse præclarus, quām accipere beneficium, cœlestis hominū magister aliquando cōfirmavit. deinde obseruantia erga eos, quibus omnes vitæ meæ rationes vltrò cōmisi, declaratur, quæ satis intelligi ac perspici profectò non potest, nisi cum arduæ res ac difficiles imperantur: postremò hoc me etiam Romanæ inuentuti debere intellico, quæ cùm mirificum semper erga me studium alacritate, frequentiâ, vbi opus erat, silentio; vbi res postulabat, oratione declararit, nisi ei ad summam eloquentiæ laudem efflorescenti tantum ipse prodeesse coner quantum possim, quod certè per exiguum quiddam esse video: sed nisi omnes ætatis, & industriæ meæ neruos in ea adiuvanda cōtendā, iure sanè optimo existimer & dicar ingratus. Vos Romani iuuenes, par ratione gaudere lætarique debetis, nō meā minus quām vestrâ cauſsa vestrâ quoniam id nobis non petentibus datur, quod neficio an vobis venisset in mentem postulare: meā, quoniam hoc officium meum mihi fructuosum iucundum vobis, Deo gratum & acceptum fore confido. Neque verò me

BB 5

vnquam puduit, neque pudebit, quam asse-
cutus sum bene dicendi rationem, si tamen
sum aliquam assecutus, certe in qua tam-
diu elaborauit, eā aliis explicare, in ea præ-
sentim vrbe, quā & ante, & post accepta re-
ligionis Christianæ mysteria, summos ho-
mines artem eloquentiæ palam profitentes
aspexit: neque si Cicerones, Victorinos,
Augustinos auctores proferre non possem,
caussæ quidquam esset, cur turpe esse duce-
rem eam docere artem, quæ viam ad ora-
tionis laudem cōmuniret: nam si nostræ ra-
tionis veluti fœtus quidā est oratio, neque
minus hæc hominum propria, quām illa
censetur, cur iis, qui logici vocātur, glorio-
sum sit, rationē ad omnia sua munera pro-
bè fungenda, monitis quibusdam adiuua-
re, rhetoricis autem doctoribus hominum
orationē ac multitudinis animos prudenter
tractandos, certis præceptis conformare,
turpe videatur? dissidium, equidem linguæ
atque cordis patres religiosissimi, quod elo-
quentiæ pater absurdum & inutile verè
nominavit; semper improbauit: neque aut
eos qui inflati opinione sapientiæ eloquen-
tiā contemnerent, aut eos, qui inani ver-
borum sonitu delectati, sapientiam exagi-
tarent, satis putauit esse perfectos: & illam
summi oratoris, nec philosophiæ studio
abhor

abhorretis vocem diuinam planè iudicauit
non posite & apte sine sententiis dicere in-
saniam esse : sententiosè autem sine verbo-
rum & ordine & modo infantiam; sed eius-
modi tamen infantiam, ut ea quæ vtantur,
nō stulti homines haberí possint, etiam ple-
rumque prudentes; eloquentē verò omnib.
op̄ttere ita rebus excellere, ut ei turpe sit,
quidquam aut spectari, aut audiri libent us.
Hanc ego veram & germanam eloquentiā
puto, quam idem ille grauissimo nomine
copiosè loquentem sapientiam nūcupauit.
hæc ex cognitione rerum existit, adiuante
natura & exercitatione : perficitur autem
velot extrema præceptoris manu, ut eam nō
immerito quendam quasi sapientiæ partum
dicere possimus. Præclarè illud Horatius, ut
alia multa, quod in mentibus omnium qui
copiosè & ornatè loqui volunt, perpetuò
infixum esse debet.

Scribens di recte saperè est & principiū & fons.
Multos ille vel poetas, vel qui poetæ vide-
ri vellent, quotidie scriptitare, non ignora-
bat, magnarum artium & doctrinæ subti-
lieris expertus: plenum tamen & graue car-
men, dignum auribus eruditis p̄ si ab eo,
qui pectus ante complexset pluri marum &
maximarum rerum scientia, componi non
posse sentiebat. Quod si poeta, cuius omne
studium

studium aurium tantum delectationem au-
cupatur, sine reconditis exquisitisque disci-
plinis non omnino creditur esse perfectus;
oratorem, qui magis utilitati seruit, quam
voluptati, nec oblectare solum audientium
animos, sed quod vult etiam ab eis obti-
nere & efficere conatur, quis excellentem
esse posse arbitretur, nisi omnem optimam
rum artium doctrinam mente fuerit ante
complexus? Non hoc arbitrabatur Platonici-
cus Socrates, qui cum Phædro adolescenti
colloquens, ideo Periclem principem Athe-
niensium affirmat, omnibus aliis dicendi
gloria præstisset, quod doctorem natus
Anaxagoram, eximum virum, cum ab eo
diligenter omnem naturæ subtilitatem co-
gnouisset, tantum inde quantum erat opus,
ad hoc bene dicendi studium transtulisset:
non princeps & parens illæ Romanæ copiæ,
qui ne physicorum quidem ignarum esse
vult oratorem suum, ut omnia, cum se à
cælestibus rebus transferret ad humanas,
excellens magnificensque & dicat, & sen-
tiat. Illa igitur inanis profluentia, & stulti-
tia loquacis fucata species, multis verbo-
rum quasi medicamentis oblita, rerum
succo, & sanguine, & eo qui sanguine dif-
funditur, colore carens, quam nunc ferè fo-
lam imperiti falsò eloquentiam vocant,
omnium

omnium est irrisione ludenda : hæc, hæc
præclara eloquentiæ forma, speciosa ver-
bis , admirabilis rebus, quām vnam veteres
tam graui , & honesto nomine dignam pu-
tauerunt,iis, qui plurimum oratione valere
student, adamanda est:de qua dum ea dico,
quæ hoc tempore, his auditoribus dicenda
sunt:& Romanam iuuentutem adhortor ad
patriam, auitamque Latinè dicendi gloriam
recuperandam, vos patres religiosissimi, oro
& obtestor; ut qua soletis benevolentia, &
humanitate , verba mea audiatis. Vestra
enim est, si verè loqui volumus vestra est,
Romani iuuenes, hæc omnis Latinæ copiæ
possessio:quæ quoniam in eam quasi cadu-
cam , atque vacuam exteræ nationes per-
multæ vobis aliud agentibus inuolaue-
runt, hoc maiori studio vobis afferenda &
vindicanda est, quod cùm nulli facultati,
neque de dignitate, neque de utilitate con-
cedat, non difficillimè recuperari & retineri
potest. Nolim aliter hæc accipi , atque à me
dicuntur. Cogor ita loqui peracerbo quo-
dam animi mei sensu & dolore , quem ca-
pio, cùm huius ciuitatis excellentem digni-
tatem,in aliis rebus magna ex parte conser-
uatam, in hac vna propè ad nihilū recidisse
cogito. Græcia quōdam & militari virtute,
& doctrinæ atque eloquentiæ laude flo-
rens

rens cultus & humanitatis parens habebatur: secuti sunt Romani illi veteres, qui ut armorum disciplina, morum grauitate, vitae constantia Græcis aut pares aut superiores erant sic liberalibus doctrinis & ornamentiis orationis principio longè inferiores videbantur. Exstitit tandem ætas illa quam huiusc reipub. verè iuuentutem nominare possumus: qua ætate, permultis hominibus omne suum studium & operam conferentibus ad artes ingenuas cognoscendas, cum aliorum, qui in eo uno elaborauerunt, tum vel maximè M. Tullij Ciceronis industria quæ propria fuerat ante à gloria Græcorum, ea vel ad Romanos translata fuit, vel communicata certè cum Romanis: quæ tum habuit hæc ciuitas lumina? quos hæc vrbis principes vidit in subselliis, in rostris, in curia? quam ampla, quam excelsa quam magnifica species orationis in omnibus reipub. partibus versata est? meministis vos Crassos, Anthonios, Hortensios, Cicerones, Tullios: quos verò nō omnes recordamini, illi nō idcirco tacentur, quod nō egregiè dixerint, sed quod aliorū, quos nominaui, splendor ipsorum gloriā obscurarit, ab hac urbe, velut à corde sanguis, ad omnes corporis partes, sic Latinæ dictionis ornatus ad omnes ciuitates, quæ in potestate ac ditione populi.

populi Romani tenebantur, permanauit ha-
que non è Latio solum, sed etiam ex vtraq;
Gallia ex ultima Hispania oratores nō pau-
ci numerabantur. Verum ut ab Atticis alij
Græci oratores, sic Latini Cisalpini & Trans-
alpini omnes à Romanis, etiam si cæteris re-
bus pares essent, tamen certa quadam voce
propria Romani generis, & nescio quo ur-
banitatis colore vincebantur. Postea multis
variisque casibus, & luctuosis oppressa re-
pub. qui dies imperandi potentissimo popu-
lo, idem finem pariter attulit bene dicendi
vos verò, quæ vobis à maioribus eloquen-
tiæ veræ iure veniebat hæreditas, eam hæ-
reditatem omnem nulla vestra culpa, sola
humanarum rerum varietate perdidistis: at
quam hæreditatem? pro Deum immorta-
lem! quâ siue copiosè loquendi finem, siue
vsum spectare velimus, nescio an quidquā
in rebus humanis possit aut nobilius, aut
fructuosius inueniri. Hoc à me ita dici ne-
mo mirabitur, cuius in animo illa quam ini-
nitio depinxi verbis, eloquentiæ pulcherri-
ma species insidebit. Quid enim est oratori
propositum in dicendo? quónam omnes
cuius conatus referuntur? quo illa spectat ani-
mi & virium tanta contentio, nimirum eò,
ut auditorum animos in quæcumque par-
tem velit, impellat, & afficiat, atque inge-
nere;

neret in eorum mentibus persuasionem, nō
eam, quae à subtili & acurato docendi ge-
nere profecta, veram & exquisitam rei pro-
positæ scientiam parit, quam recte sentiēdi,
& ornatæ loquēdi princeps Plato *διδασκαλί-*
κην appellat, sed eam quae à populari quodā
genere dicendi & probandi ora opinionem
tantum & fidem in eorum, qui audiant ani-
mis gignit, quam ille idem *πειρωνην* con-
uenienter ipsius naturæ nominauit. Nam
cæteræ siue facultates, siue artes, siue scien-
tiæ omnia resecant ad viuum, & quascunq;
res explicandas suscepérunt eas quam pos-
sunt diligentissimè non tam ad multitudinis
ingenium, quam ad ipsarum vim & naturā
accommode perlequuntur: in quibus illa
vel maxima sæpè laus est, à populari sen-
tentia quam longissimè abesse. At eloquen-
tia, quamvis oīnnib. doctrinæ copiis abun-
det, sine quibus instrumentum hoc orato-
rium p'eregrinum atque mēdicum est; om-
nia tamen explanatiūs dicit, & vberius; &
ad communem hominum sensum accom-
modatiūs: in qua nihil est vitiosum magis,
quam à communi iudicio, & à vulgari con-
suetudine sermonis abhorrere: quare ma-
gnæ illæ reconditæque artes ab orationis
copia sciunctæ tacita cogitationis volupta-
te frui possunt, & suauissimis cognitionis
epulis

epulis quibus noster animus maximè pa-
citur, insaturabiliter expleri, ad rerum pu-
blicarum usum in circunfusa multitudinis
corona dignum aliquid & magnitudine sua
& hominum eruditiorū aurib. proferre om-
nino non possunt. Audite Romani iuuenes,
audite, quæso diligenter, & quæ dicam nun-
quam è memoria vobis elabantur. Doleo
enim interdum & vehementer angor, ubi
video plerosque non depravatè, & corruptè
solum ipsos de hac tota dicendi facultate
iudicare, verū omnes etiam in eo neruos
contēdere, ut quo in errore ipsi sunt: in eis
dem cæteros inducant. Si quando in ve-
terem & locupletem domum ingredere mi-
ni, refertam, auro, argento, ebore, precio-
sa veste, margaritis, gemmis, tabulis pictis,
signis, omni denique apparatu ornatuq; vi-
sendo; neque eas res vobis quisquam pate-
faceret, proferret, ante oculos proponeret,
quem ex illa copia fructum, quam volupta-
tem caperetis? nihilo maiore imperita mul-
titudo mihi posse percipere videtur ex eo
rum doctrina, qui locupletes rebus, verbis
inopes præclarum illum apparatus, quem
inuolutum in pectore tenent, & penitus in-
clusum nequeunt in adspectum hominum
lucemque proferre. Vidi quendam adolescē-
tem, quo nomine appellem nescio, sed vidi

CC

quendam tamen, qui in urbe clarissima, loco amplissimo, frequetissimo conuentu, cum ex literis diuinis, graui & ardenti oratione populi mentes a vitiis deterreret, ad virtutes inflammari oportet, nihil ferè egit aliud, nisi de tribus ratiocinationum formis ex Analyticis Aristotelis valde lentè & fastidiosè disputauit. De alio mihi bene noto audiui ex iis qui mori quam mentiri mallent, processisse in publicum etiam aliquando rogatu multorum posuisse quæstionem è media Theologorum schola: de ea in utramque partē nō minus exiliter & ieunè, quam in publico gymnasio solebat differuisse, cuius ego ut subtiliore in illo genere doctrinam, his temporibus præsertim non utilem modò verum etiam necessariam, & in docēdis Theologiaz studiosis acumen singulare magnopere admiror, sic ad multitudinem instituendam teuuitatem & exilitatem orationis, non satis aptam fuisse contendo: quid enim illos perfecisse, quid asscitos esse creditis? hoc unum opinor, ut amicos puderet, docti riderent, indocti oscitarentur. At illi veteres Ecclesiæ principes, quorum singularem eloquétiam ex ipsorum scriptis agnoscimus, quam prudenter hominum animos regebant? quantum rerum apparatum, quam insignem, quam varium ubi necesse erat

ex illis humanæ & diuinæ sapientiæ thesau-
ris depromebant? ut explicabant, ut euolue-
bant omnia: ut constituebant in hominum
pene oculis & adspectu? itaque nihil erat
tam difficile, quod non susciperent, nihil
suscipiebant quod non, efficerent dicendo.
Vetus est quod dicam, sed paucis credo, ve-
strum adhuc auditum: nam qui hæc legūr
ad alia maiora festinantes, quæ ipsis viden-
tur minora prætereunt. Cæsarea est oppidum
in ora Mauritaniæ perantiquum: quo in op-
pido fuit mos ille quondam patrius, ut cer-
to anni tempore promiscuè ciues omnes ad
impiam cædem, tanquam statum & sole-
ne sacrificium conuenirent: caterua illi vo-
cabant crudelem nefariumque ludum: quo
in ludo duæ aduersæ ciuium acies lapidibus
inter se tanto furore dimicabant, ut omni
delectu ac discrimine sublato, propinqui à
propinquis, à liberis parentes, à parentibus
liberi non oppugnarentur modò, verùm
etiam opprimerentur, non tulit Augustinus
barbarem illam & inauditam immanitatem
qui ut oratione copiosus atque grauis, con-
cionem aduocavit: inhumanaam consuetu-
dinem accusavit vehementer: neque prius
fecit dicendi finem, quam ex omnium ge-
mitu fletuque cognouit, feros audientium
animos & indomitos ad humanitatē & cle-

CC 8

mentiam suisse reuocaros. quid ergo consecutum est? ille quidem sui laboris præmiū amplissimum tulit, Cæsarienses autem tam immane certamen de suæ ciuitatis moribus sustulerunt, ex quo perspicitur quantum eloquentia possit, cum nuda & inermis, impia ciuium arma compresserit, quæ forte magistratus omnes summissimis militum septi presidiis paulisper reprimere non potuissent. Multa generis eiusdem commemorare possem, nisi angustiis temporis urgerer, quæ quoniam mihi necessariò prætermitenda sunt, videte vos, Romani iuuenes, quid vobis agendum esse existimetis: si enim popularis haec persuasio tota est oratorum: si prudens docti hominis, & eiusdem ornati, grauisque vox tantam vim habet ad flectendas hominum mentes; quo vos tandem animo hoc tam lauto: & tam copioso patrimonio amitto, esse debetis? quo studio, qua contentione animi, ingenij, virium, omnes eniti decet, ne frustra maiores vestri tantum in eo constituendo & amplificando laborarint? præfertim cum dicendi usus tam longè latèque pateat, ut nullum ferè sit ab eo vacuū publicum manus: in officiis vero priuatis non parum dominetur. Etenim prudenter ciuilis quæ totam continet ciuitatis gubernandæ rationem ex multis magnisq; facul

facultatibus cōstat, quantū qui sunt exper-
tēs, iij non satis idonei censem̄t ad rempu-
blicam benē gerendam: earum autem fa-
cultatum, quæ scientiæ regendarum ciuita-
tum veluti comitēs & ministriæ seruiunt,
omnes vnam hanc esse orationiam confiten-
tur. Ille quidem hospes Eleates apud Plato-
nem, perfectum quemdam hominem, & ad In Dialog.
de Regno.
Reipubl. procuraⁿtionem aptum instituens,
benē dīcendi vim, item ut artem imperato-
riam', & magno in pretio haberi oportere
testatur, & cum scientia ciuili naturæ qua-
dam cognitione esse coniunctam: qui illud
etiam adiungit, hanc regiæ facultatis quasi
sociam, id quod ius est persuadentem, com-
muni quodam modo cum ea consilio quæ-
cumque in ciuitatibus gerūtur, gubernare.
Neque Aristoteles mihi discrepare videtur Primo
à sententia magistri: qui cūm scientias eas Polit.
quæ summo in honore sunt, prudētiæ ciui-
li dixisset esse subiectas, in earum numero
reposuit ornatè loquēdi facultatem. Quid?
quod memoriæ proditum est, à Siculis pri-
mūm respirante libertate ad res per iniu-
riam ablatas longo interuallo iudiciis re-
petendas artem eloquentiæ inuentam esse,
non satis declarat, omnē orationis copiam
ad officia ciuilia præcipue pertinere? assu-
mperunt quidem eam ad suas illas erudi-

tissimas disputationes nonnulli philosophi
suavitatis caussa, ut Academicci, ut Peripa-
tetici, quorum olim non subtilis magis &
exquisita, quam elegans & polita philoso-
phandi ratio admirationi fuit: sed non esse
propriam ipsorum, ex eo cognoscimus,
quod qui tenuiter iisdem de rebus, & ieu-
nè differuerunt, non idcirco minus eos
philosophiae satisfecisse credimus, quam
qui ornatissimè sunt locuti, cùm nequeat
omni, laude cumulatus ciuitatis rector ex-
sistere, nisi multa & magna sit ornamenta
dicendi consecutus. Non hic eraggerabo
verbis vim ciuilis facultatis, atque præstā-
tiam: non dicam id quod scriptores antiqui
multi probauerūt: desidiosè & oscitati quo-
rundam sapientiæ, cui sola contemplatione
veri contenti, se ab omnibus muneribus
publicis omnino remouerunt, negotiosam
hanc laboriosamque prudentiam antepo-
nendā esse, quæ ad reipub. curam aliquando
conuertit, neque illud sciscitabor à vobis,
quanti faciendum eloquētiam puretis, cùm
in ea, cui deseruit, facultate tanta sit laus; ut
omnib⁹ aliis facultatibus, artibus, scientiis
una præsit, & quæ reiiciendę, quæ in ciuitate
retinēdæ, quatenus unaquęque sit addiscen-
da præscribat. Hæc omnia præteribo taci-
gus, dummodo illud intelligatur à vobis,

quam

quām latē pateat vis eloquētiæ. Neque verò locum illum attingā in præsentia. quantum Athenis olim , quantum in Asia , quantum Romæ, quantum in omnibus pacatis liberisque ciuitatibus viguerint studia dicendi, cùm omnes partes rerūpubl. essent in eloquentiæ tutela: de nobis dūtaxat, hoc est, de repub. Christiana vniuersa quām breuissimè potero perstringam. Quis non videt cōcio- nādi munere & salutem omnium, & publi- cas priuatásque religiones maxima ex par- te contineri? atqui totum hoc, concionari quoniam populare est , boni oratoris esse propriū, neinīne esse credo tam ignarum rerum , qui neget : fateor euidem requiri diuinarum, & humanarum rerum exquisi- tissimā doctrinā, quam nunc illi sibi suo iure vēdicāt, quos Theologos vocamus: ve- rum illa materiā tantūm concionatori sup- peditat : quam aptè describere & illustrare oratione, ad multitudinis animos vel refle- ctendos, vel incitandos, cāmque orationem cùm quadā actionis dignitate pronunciare, eloquentium omnes esse dicent, non Theo- logorum: quocirca si multitudinem in con- cione docere, & mentes hominū pro re mo- dō huc modō illud impellere . sacerdotum sunt Episcoporumq; partes: qui fieri potest, vt sine oratoria facultate quisquam vel fa-

cerdotis, vel episcopī dignitatē, & auctori-
tatem per se ipse tueatur? Legationes vero,
quæ vel à ciuitatibus, principibus, regibus,
imperatoribus, ad Pontifices maximos, vel ab
his ad illos, vel ab illis denique inter ipsos
de religione, de publicis rebus crebro mit-
tuntur, possuntne sine magnis eloquentiæ vi-
rib⁹ sustineri? quām turpè, & propè flagitio-
sū est id quod plerūq; fieri videmus, ut aliis
mandata dentur, ab aliis eadem exponantur?
Iā in imperiis, in prefecturis vel militaribus
vel urbanis, quām graues nonnunquam of-
fensiones concitantur; quæ dedecora, quæ
maculæ suscipiuntur, dum illi qui præsunt,
tāquam mutæ pecudes, ne verbum quidem
vnum in conuentu loqui possunt? quid de
cōsultationibus dicam, quæ sāpè incidentur,
aut de salute, aut de utilitate communi? si
quis eximiā prædictus prædētiā verbis com-
positus, & ornatus in consilio publico ver-
saretur; siue de bello, siue de pace, siue de
vectigalibus imponendis, siue tollendis,
siue de præmio bonorum, siue de improbo-
rum supplicio deliberaretur; quām ille fa-
cile omnium aliorum, qui non essent pares
in dicendo, sententias arbitrio suo modera-
retur? testes sunt parentes & propinqui ve-
stri, Romani iuuenes, qui tametsi cā graui-
rate salutem publicam tuentur, quæ maxi-

mē

mè decet nobile & illustre apud omnes na-
tiones huius ciuitatis nomen , tamen non
dubito quin aliquando, cùm cōsiliū com-
munib[us] de rebus caperetur, eīque consilio
ipſi interessent, Demosthenem aliquem, aut
Ciceronem in curia exoptarint : teste, sunt
amplissimi Cardinales, vrbis Romanæ lumi-
na, qui in illo grauissimo principum Eccle-
siæ consensu , & summo consilio orbis ter-
ræ, vbi variæ frequenter sententiæ de Itali-
cis, Germanicis, Gallicis, Hisp[anicis]que re-
bus agitantur, vnius interdum hominis di-
serti verba dominari regnaréque viderunt:
testes sunt Alpium fauces , & Tridentina
mœnia, Cōsilio œcumenico frequentissimo
atque sanctissimo, superioribus annis à Pau-
lo , Iulio , Pio , Pontificibus maximis desti-
natæ sedes, quæ in illis accuratissimis disce-
ptionationibus de religione, & de publica con-
suetudine viuendi, atque in explicanda sen-
tentia de maximis grauissimisq[ue] rebus quā-
tūm possit erudita & prudēs eloquentis ho-
minis vox & oratio, confixerunt: testes de-
nique omnes prouinciæ , regna , vrbes , te-
stes omnes gentes , atque nationes , quæ
anguntur, sæpè numero, & lugent; vbi vinci
meliorē sententiam à deteriore cernunt;
& ius ab injuria magno multorum malo
superari propter eloquētum, qui ea possint

CC 5

defendere paucitatem. Magna hæc, magna sunt prorsus, & admiranda munera eloquentiæ, quæ si quis modò non elinguis, à se præclarè sperat posse præstari; quod fieri qua ratione possit, non intelligo: sed si quis tamen sperat, numquam se ad hæc officia perfungenda, orationis ornamenta desideraturum. Quis de illis nationibus dicemus, quæ à vera religione discesserunt? an quibuscum agiſne verborum & sententiarum splendore non potest, ab iis qui loqui nesciat, quidquā impetraturum se esse confidet? ego verò, patres religiosissimi, magnopere interdum doleo, nos qui à veritate stamus, à facilitatis defensoribus studio, assiduitate, cura, labore, diligentiaque superari, & cùm antiquissimæ, ac fidelissimæ prouinciæ loquacissimis hominibus abundant, ad omnia diuina & humana iura peruerienda, reperiri tam paucos eloquentes viros, qui sapientis orationis grauitate sceleratos impiorum conatus aut frangant, aut retardent: quorum si magnam copiam in illis terris habemus, auderem equidein polliceri, breui omnes illas ciuitates ab erroris & nequitia castris ad veritatis & Ecclesiasticæ disciplinæ signa, quæ reliquerunt, esse redituras: verùm hæc publica, ad priuata veniamus. In mensis moderatorum principum,

pum, qui eruditis ac politis de rebus abstrusis disputationibus magis, quam epularum apparatu delectantur, cui nisi docto oratori palma tribuēda est? epistolas porrò eorundem nomine, de publicis priuatisque negotiis tum ipsorum, tum alienis non posse scribi, nisi à disertissimis viris, vel hoc vnu aperte demonstrat, quod neminem vnum in hoc genere præstuisse cognovimus, qui non idem plurimum valuerit dicendo, Scèpè obiurgandus est aliquis? quæ vis, quæ contentio, quæ verborum & sententiarum pondera adhibenda sunt? admonendus alius? quam prudenter, quam artificiose sermonis asperitas, monitoris humanitate quædam & suavitate lenienda est? alius cōhortatione inflammāndus? potest hoc perfici nisi ab eo, qui ardentes admoueat orationis faces & alleuandus miti consolatione dolor, animusque mōrens à cogitatione malorum abducendus: quod orationis flumen, quæ varietas in tam diffīlī re desiderātur? Omitto gratiarum actiones, gratulationes, petitiones, expostulationes, depreciationes: quæ quantam orationis copiam, quanta eloquentiæ ornamenta requirant, sciuīt qui hæc aliquādo cūm tētarunt, nunquam tamen, aut diffīllimè perficere posuerunt. Nam quod ad vnum vel ad pau-

CQ,

cos, nō ad multitudinem hæc aguntur, per-
magni quidem id refert ad orationis genus
diligendum, ne quid fiat præter id, quod de-
cet; ad illu*i* autem ornaténe sint, an secus
agenda, nihil refert. Magnificè nimis Gor-
gias apud Platonem, & ut sophistà dignum
erat, glorioius, quos ægrotos medici addu-
cere nullo modo potuissent, ut aut potionē
sumerent, aut se vrendos secandosque præ-
berent; eos à se facilè non alia quam ora-
toria facultate ad omnia & facienda, & fe-
renda impulsos fuisse prædicat. Sed illud
nobis hominis exercitati sermo, detracta
iactatione verborum, ostendit, etiam in cir-
culis priuatisque congressibus atque collo-
quiis, magno esse usui, si quis aptè uti sciat,
hanc oratoriam consuetudinem rationém-
que dicendi: quod si ministra est prudentiæ
ciuilis eloquentia, & actiones propemodum
omnes, tum publicæ, tum priuatæ, quam-
cūque sequi malis viam, institutumque vi-
uendi, sine dicendi exercitatione iacent, vos,
Romani iuuenes, quorum hæc præclara fa-
cultas, vel ut hereditaria iure existimatur:
qui non modò vestram rempublicam; ve-
rūm etiam omnium gentium sacra, cære-
monias, religiones moderari, ac regere de-
betis, hoc tantum rerum gerendarum adiu-
mentum negligetis? vósne committetis, ut
patria

patria autaque possessio vestra iniuria vo-
bis erupta esse videatur? Quid tandem est,
quod vos à studio deterreat? aut difficultas?
si tam difficilis res esset, ut eam vix pauci de
multis possent post diuturnas exercitatio-
nes & assiduum laborem assequi, tamen
in re tam honesta & fructuosa omnes vos
laborare & sudare par esset, ut vel unus ta-
lis euaderet quales multos cupimus habe-
re: nunc ea vos habere adiumenta video ad
eloquentiam comparandam, ut qui uis vestrum,
modò ne sit planè absurdus, modò ne stu-
dium omnino fugiat & laborem, non diffi-
cillimè queat oratorum numerū aliquem
obtinere, ingenia tanta sunt, quanta me us-
quā videre memini: vidi autem multa præ-
clara. Latinum sermonem quis non intelli-
git, yobis magis proprium, quam cæteris, &
quodam modo naturalem esse? præceptores
à quibus non hæc tantum rhetorica præce-
pta, sed omnium etiam grauissimarum ar-
tium doctrinam accipiatis, neque hic apud
nos; neque in gymnasio sapientiæ vobis de-
sunt? quod quidem gymnasium singulari
Pij IV. Pontificis maximi cuius & studio er-
ga bonas artes, ad antiquæ disciplinæ nor-
mam reuocari, & doctissimorum hominum
frequentiam, digna urbe Roma celebrari, ma-
gnopere gaudemus: vel nostris igitur, vel
illo

illorum vel utrorumque potius monitis & exemplis, si modò vobis in hoc studio elaborandum esse duxeritis, facile poteritis illam coassequi, de qua initio dixi, eloquentiam. Verumtamen ne quid fortè desideretis, vt illi, qui iam aliquò potuerunt, idem iter egredientibus, & viarum diuortia, & latronum pericula demonstrare solent, ne aut longius aberrent, aut occultis insidiis excipientur: sic ego, qui licet eam, quam opto, dicendi copiam nondum assecutum esse me sentiam, vt assequenter tamen diu multumque laboraui, & aliquantò certè longius, quam vos, in hoc itinere processi, vobis eamdem rationem persequi volentibus quà eundum quid cauendum sit paucis ex hoc loco tamquam è specula, intento dito diligenter indicabo: ne aut errore viæ decepti, aut falsis quorundam opinionibus velut ex insidiis oppressi, aut numquam, aut serò queatis, quò intenditis, peruenire. Et quoniam incorrupta Latini, purique sermonis, omnibus vitiis detractis, intergritas quasi solum est, & fundamentum oratoris: illa prima debet esse cura, vt Latinè, quam elegantissimè, & apertissimè loquamini: deinde, quoniam inanis est, & deridendus, omnis orationis ornatus, nisi subsit res digna hominum auribus, ab oratore percepta

&

& cognita; danda est opera, ut omnes & di-
uinæ, & humanae disciplinas adiungatis:
verum ita ne totam in eis perdiscendis con-
teratis ætatem, sed cognoscatis modò fon-
tes ipsos, vnde tantum postea, quantum ne-
cessæ erit, hauriatis: tum per uolutandi sunt
ornatissimi quique scriptores, oratores ma-
xime, quorum lectione veluti paulo quo-
dam alitur oratio, & exemplis multis atque
illustribus ad imitandum animus informa-
tur. Non verebor aliquid de me ipso con-
fiteri apud eos, quos optimè institui vehe-
menter opto. Incideram ego adolescens in
non optimos magistros, à quibus deceptus,
contuli me ad eos legendos & imitandos,
quorum similis nemo, nisi sit omnino stu-
lus esse velit: ibi cum de recto tramite de-
flexissem, laborabam, quantum illa fere-
bat ætas; verum ab eo, quod mihi propo-
sueram, longius in dies discedebam: tandem
errore cognito, redij in viam; omne meum
studium ad legendum Ciceronem, & co-
gnoscendum penitus, conuerti, tum demum
intelligere cœpi, quid sit composite & or-
natè loqui: tum primum illam eloquentiæ,
non pigmentis oblitam succoque puerili, sed
veram, sed naturalis succi plenam, & suo
colore florentem faciem adspexi. Itaque
tametsi me parum profecisse & agnosco &
fateor

fateor tamen non omnino nihil egisse vestrum omnium studiorum, & hodiernus hic concursus tantus facit, ut credam. Quamobrem hunc eundem oratorem ita notum vobis esse volo, ut & commentantibus, & scribentibus & vero etiam agentibus multa de scriptis eius, quae sequamini, celeriter occurrant. Ne ars quidem eloquentiae, quae vulgo traditur, pulchri & oratoriè dicere volentibus negligenda est: quae licet eloquentes non faciat ipsa per se, tamen huic studio neque pauca, neque exigua adiumenta suppeditat. Sapienter illud ab eloquentiae Romanæ principe scriptum arbitror; magnis ingenii predictos quosdam dicendi copiam sine ratione assequi, sed artem ducem esse certiorum, quam naturam. Quia propter assumenda sunt rhetorum præcepta: sed cum ea partim ab antiquissimis, & copiosissimis hominibus Græcis, Latinisque literis illustrata fuerint; partim à recentibus, & quasi minorum gentium scriptoribus varie tractentur. illos ego & sibi, & aliis optimè consulere semper iudicaui, qui ad scripta veterum magistrorum cognoscenda penitus incumbunt, nouos & recentes eatenus legunt, quoad nonnihil adiumenti ad ea intelligenda videantur offerre. Exorti sunt enim proximis annis tam in dialecticis, quam in rhetori

toricis non quidam doctrinæ veteris emen-
datores : quibus cùm nihil esset aliud pro-
positum , nisi principibus,& propè dixerim
parentibus omnium disciplinarū aduersari,
& magnis auctoribus reprehendendis suum
adolescētulislrudibus & imperitis ingenium
vindicare studio repugnandi lōgius ; quām
par erat prouecti , sāpe sine ratione ab iis,
quos defendere debuerant , dissenserunt: le-
gialiquando , vel inspexi potius , vnum ex
illo grege, qui cùm Topica Ciceronis ex-
plananda suscepisset, præter pauca quædam
à Boëtio compilata nihil, nisi mera conui-
cia, bonus interpres afferebat : hinc profe-
minatæ sunt illæ pueriles opiniones & ab-
surdæ , quas nonnulli iam solas in scholis
intolerabili cum arrogantia, & fastidio pro-
verissimis , certissimisque iactant: bene di-
cere , non persuadere , finem esse oratoris:
solam euocationem esse huius artis ; aut
elocutionem cum pronunciatione & actio-
ne ridiculum esse nunc quærere numeros
in oratione , videlicet stipites repente nos,
aut lapides factos esse arbitrantur , quos
putant subito quodam animi stupore om-
nem eius rei , quæ maxime cognata est
mentibus nostris,sensum amississe. Hæc, &
alia permulta ista nobilissimorum scriptorū
inepti correctores inuexerunt, quæ,cùm ad

Or. p.

D D

cas disputationes ventum erit, nisi ita falsa
esse conuicero, ut ne ipsi quidem, si adessent
inficiari possent, nolo cuiusquam mili rei
fidem in posterum haberi. Ac videte quan-
tum inter modestiam veterum & istorum
impudentiam intersit. Socrates apud Plato-
nem, cum se audiret Phædrus diceret, non
esse oratori necessarium, quid reuera ius,
quid iniuria sit, quid bonum, quid malum
exploratum habere, sed quid esse videatur:
tametsi falsam hanc sententiam erat ipse
refutator, quam non arroganter tamen,
quam non insolenter de auctoribus locutus
est? Minime, inquit, reiiciendum est, Phæ-
dre, quod à sapientibus dictum fuisse con-
stet. sed videndū an aliquid dicant. Hippias
autem apud eundem, cum omnes veteres
sophistas præ se contemneret, in eoque à
Socrate illâ ipsius propriâ dissimulatione
facetissimè derideretur, cogente naturâ ta-
men se consueuisse affirmat priscos homi-
nes, qui antè floruerint, laudare magis
quam præstantes illâ arte viros, partim
virorum inuidiam verentem, partim exti-
mescentem iram & odiū mortuorū. Itaque
illi quemvis falsi fuissent aliqua in re, su-
periores tamen corum dignitati parerunt,
isti etiā in his, quæ verissimè dixerunt, eorū
auctoritatē eleuare verbis atque infringere

conan

conantur: illi propter vetustatem etiam se
inferioribus humanissimè singularem ho-
norem deferebant, isti quem antiquissimis
auctoribus honorem omnia secula conces-
serunt, hunc eis impudentissimè detrahere
nituntur. Quanquam istorum leuitatē gra-
uitati veterum inimicam esse non miror: il-
lud miror, esse tam multos, qui quorum fa-
cta imitentur, eorum exitus non perhorres-
cant, cum viderimus eum, qui se signiferum
præbuerat ad antiquorū auctoritatem euer-
tendam, deserta religione se ad impietatis
& impunitatis castia contulisse. Vos vero,
Romani iuvenes, vos, quos hæc communis
religionis parens ad spem Ecclesiæ Chri-
stianæ procreauit, ab hac temeritate & in-
temperie vestros animos quam longissimè
segregantes, ac memores illius Socratici
præcepti nihil esse rejicendum, quod dixe-
rint aliquando sapientes, sed videndū an ali-
quid dicant:illos colite; illorum scriptos de
arte dicendi libros sedulò euolute, quibus
omnem, propè debemus huinsce rei discipli-
nam. hæc Demosthenis, hæc M. Tullij fuit,
hæc omnium excellentium oratorum regio
atque via, quorū si vos sc̄ctā & instituta di-
ligenter fueritis persecutī: si iactis ante funda-
mentis elegatis dilucidiq; sermonis, om-
nem animo comprehendenteris maximarum

DD 2

artium doctrinā. si scriptores optimos, Ci-
ceronem maximē, vobis admirandum pro-
posueritis: si Rhetorica præcepta didiceritis
ab iis præsertim, quos omnis antiquitas
comprobauit, quod intanta & ingeniorum
& doctorum abundantia facile, ut dixi, effici
potest: promitto & recipio, breui fore; ut
illa, vetus Latinè dicendi gloria, funestis
Reipub. casibus amissa floreat rursus in his
vestris, & maiorum sedibus, recuperata per
vos & restituta: quo qnid per Deum immor-
talem vobis ad fructum optabilius, ad exi-
stimationem honestius, ad hominum famā
prædicabilius potest accidere? maiorum
laudem, obrutam quondam patriæ ruinis
per vos longo interuallo renouari, faculta-
tēmque præclarām, propositō fine persua-
sionis popularis effectricem, vsu scientiæ ci-
uilis comitem, & sociam, omnes in ciuitae
tum publicas, tum priuatas actiones cum ea
moderantem, quæ ad vos velut hæreditario
iure veniebat, iam olim communibus om-
nium gentium cladibus vobis erēptam, ve-
strâ operâ, studio, labore, quasi denuò com-
parari? quantum laboris & molestiæ veter-
res illos Romanos vtrò suscepisse, & con-
stanter sustinuisse creditis? quantum vigi-
lasse Ciceronem, quantum Hortensium,
quantum cæteros, ut hanc vobis oratoriæ
laudis

Iaudis hæreditatem, quām maximē firmam,
stabilem, certam, æternam denique relin-
querēt, si quo modo possent? qui cūm luge-
bant, cogitabant, scribebant, declamitabant
agebant, illud opinor optabant, studij, labo-
ris, gloriæq; suæ & mulos posteros habere:
ergo illi nihil recusarūt, vt hoc vobis quasi
patrimoniū traderent quām amplissimum,
vos, vt ablatum vobis & recuperetis & con-
seruetis, hoc quidquid est subeundū labo-
ris, refugietis: quām turpe, quām ignomi-
niosum est, quod illi primi vestrā caussā tā
studiosē parauerunt, id vos ab illis accep-
tum, & aduersis casibus ademptum nolle
recipere, cūm possitis? Rusticos homines vi-
demus quiduis malle perpeti, quām auferri
sibi, vel salinum, vel patellam, vel solium, à
parentibus autisque relictum, vos tam am-
plam eloquentiæ possessionem equo animo
amissam patiemini? si cui vestrūm tātulum
de patriis bonis alicuius fraude diminuer-
etur, non vociferaretur? non prætorem adi-
ret, iudicium postularet, volitaret toto foro
patronorum & aduocatorum multitudine
stipatus, testamentorum tabulas proferreret,
per omnia tribunalia vltrō citróque cursi-
taret, quiduis potius ferret, quām perexi-
guum quiddam de pecunia patria deperde-
ret? & tantas orationis copias, has eloquen-

422 De auia dicendi laud: recip.

tiæ diuitias, non testamentorum iure: sed propagatione sanguinis, vobis à maioribus traditas, direptas, dissipatas, laceratas ferre potestis? videte, ne quantam illis gloriam peperit incredibile nouæ laudis acquirendæ studium, tantum vobis dedecus afferat veteris recuperandæ & retinendæ negligentia. Ego quidem, Romani iuuenes, quoniam hoc mihi hodie onus imponitur, curabo quantum in me erit, ne qua in re officijs mei partes desiderentur, meāmque operam, quam vnam vobis præstare possum studiosis eloquentiæ nunquam denegabo, vos incubite, obsecro, incubite ad studium dignum ingenio, dignum ætate, dignum splendore vestro, nobilitate patriæ, maiorum gloriâ, & efficite, ut hi patres religiosissimi, hi doctissimi eloquentissimiq; viri, qui nos audiētes præsentia sua decorare voluerunt, multò vos aliquando iucundiūs dicentes & agentes, hac tantâ grauitate & auctoritate cohonestent.

P E T R I I O A N N I S
P E R P I N I A N I ,

D e retinenda veteri religione, & falsa recentiū hereticorum doctrina reicienda, ad Lugdunenses.

ORA